

uno tantum gestari possent, præcipuo usui ad protegentes aggeres, receptusque reficiendos fuere, cuniculo a Turcis oblerato, ingens pavor propugnatorum animos, qui in hemicylio custodias obire cogeabantur, occupavit; cum irrumpente pulvere, vel sublato, vel dissiliente solo, absque ulla salutis spe præsens lethum intuerentur: ac licet contractus agger aliquantisper a fronte distaret, ut eo ignium vim perventuram non crederetur, attamen ii, quibus cuniculorum impetus notus erat, in magno metu, ac suspitione versabantur: sed horridi interitus timorem eximia in Deum Optimum Maximum pietas, ac singularis in Venetam Rempublicam amor discutiebant. Eum casum fortuna leviolem effecit, cum, hoste cuniculum incendente, militum custodiæ permutarentur, ac nondum omnes ad protegentem aggerem pervenissent. Prima luce igne cuniculo admoto, repente immensa tormentarii pulveris vi, ea urbis regio, ex qua prospectus in portum erat, horribili veluti terræmotu contremuit; ignea nubes repente tetro involuta fumo humana corpora terra, pulvere, lignis, saxisque permixta magno impetu in aera sustulit, quæ partim in portum, partim in fossam cecidere. Necdum flammis extinctis, Turcarum manus omni armorum genere instructa, Jambolato duce, per ruinas ascensum molitur. Qui primi scandunt, aream nudatam prope bellatoribus inveniunt, quod ex iis, qui, dum cuniculo ignis admoveveretur, ibi ad custodias obeundas ingressi fuerant, pars flammis absumpti, pars horribili fragore attoniti, pars in vulneratis, ruinisque semisepulchris, igne ac saxi faucibus fovendis ac medendis detinebantur. Attamen hostium inanis labor fuit; nam qua ex cuniculo, a sinistro latere, muri ampla ruina edita fuerat, protectorius agger intactus permanerat: a dextro vero, aggere comminuto, non tantum muri dejectum fuerat, ut aditus esset patefactus. Dum igitur scandere conantur, Nestor Martinengius cum sua cohorte supervenit, ac cum Petro Comite, qui custodiæ præerat, suis licet ruinis vehementer afflictus, impetum fortiter excipiunt. Baleonius ducis, ac militis strenue munus obit. Bragadenus, ac Quirinus armati stimulos bellatoribus addunt, recentes fessis submittunt, impetum egregie sustinent, aliisque super

*Turca, cuniculo igne admoto, per ruinas scandere nituntur.*

*Nestor Martinengius & Petrus Comes Turcarum impetum fortiter excipiunt.*